JOANNIS JACOBI
SCARFANTONI

J.C. Patritii, & Eccleſiæ Cathedralis Piſtorienſis Præpoſiti,

EQUITIS SACR. MILIT. ORDINIS

DIVI STEPHANI,

ET VICARII GENERALIS

ANIMADVERSIONUM
AD
CECCOPERIUM
PARERGON,

Nonnullis ad materiam Rotæ Romanæ Deciſionibus,

NECNON

De la Libreria del Colegio m.or de Cuenca

Clariſſimorum Juris Conſultorum Votis exornatum.

PARS TERTIA.

VITERBII, MDCCLI.

Proſtant

VENETIIS

IN TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.

DECISIONES SACRÆ ROTÆ ROMANÆ ET VOTA DECISIVA DIVERSORUM JUDICUM.

In primo hujus Operis Tomo impreſſa habetur deciſio Rot. Florent. in Piſcien. Beneficii la 52. in ordine. Verum quia d. deciſio fuit poſtmodum revocata a S. Rot. idcirco hic imprimendam duximus ſequentem deciſionem illius revocatoriam, & reſpective confirmatoriam alterius præcedentis.

R. P. D.

ROVAULT

De Gamaches

Nullius, ſeu Piſcien. Beneficii;

Ven. 13. Maii 1720.

ARGUMENTUM.

Beneficium, de quo agitur, non requirere reſidentiam præciſam, ſed cauſativam, tum ex Juris diſpoſitione, tum ex fundatione, tum etiam ex obſervantia luculenter probatur; ac propterea non eſſe cum Canonicatu incompatibile. Habens unum, vel plura Beneficia quando poſſit, vel non, præſentari ad aliud.

SUMMARIUM.

1 *Litteræ Apoſtolicæ impetrationis Beneficii non ſunt exequendæ, ſi de veritate expreſſorum in illis aliquomodo dubitari poſſit.*

2 *Beneficium ſimplex de Jure communi nullam requirit reſidentiam, neque eſt cum Beneficio reſidentiali compatibile.*

3 *Onus celebrandi Miſſam, a Fundatore injunctum, per ſe non facit Beneficium reſidentiale reſidentia præciſa, ad effectum inducendi incompatibilitatem.*

4 *Idem dicendum eſt de facultate removendi Capellanum, ſi non impleat id, ad quod tenetur; cum hæc diſpoſitio reſpiciat ſimplex implementum oneris præſcripti, quatenus Capellanus illi, neque per ſe, neque per alium, ſatisfaciat.*

5 *Neque etiam ex ſervitio perſonali, quod a Fundatore in Capellano volitum fuiſſet, ſequeretur incompatibilitas Beneficii cum Canonicatu, quia poteſt Canonicus una hora inſervire Canonicatui in Choro, & diverſa hora Beneficio in Altari.*

6 *Pro excludenda qualitate reſidentiali Beneficii, de quo agitur, & incompatibilitatis cum Canonicatu, exproducuntur quamplures ejuſdem Beneficii ſtatus.*

7 *Ex lege fundationis, quod Patroni teneantur eligere Presbyterum habilem, & idoneum ad aſſiſtendum Altare de Miſſis,* juxta controv. 57. & 58. Saminiati, *requiritur in Beneficiato qualitas Sacerdotalis actu.*

8 *Sed de veritate hujus aſſumpti dubitandum videtur, quando Beneficiato injunctum non fuit onus celebrandi Miſſas per ſe ipſum.*

9 *A qualitate Sacerdotali in Beneficiato inferri non valet ad reſidentiam, & Beneficii incompatibilitatem cum alio Beneficio vere reſidentiali.*

10 *Reſidentia voluntaria, ſive cauſativa, ad effectum ſcilicet lucrandi diſtributiones, non inducit dictam incompatibilitatem.*

11 *Præſentatus a majori parte Patronorum Beneficium adjudicandum eſt.*

12 *Qui Beneficium habet ſufficiens, pro propria ſuſtentatione, non cenſetur pro alio acquirendo idoneus.*

13 *Id tamen procedit, quando proviſio ſecundi Beneficii fieri debet per Litteras Apoſtolicas, at non etiam quando proviſio facta fuit per Ordinarium ad præſentationem Patronorum.*

14 *Dummodo aliter in fundatione cautum non fuerit, & quidem per prohibitionem, reſpicientem aliquem, & tempus præſentationis.*

15 *Beneficiorum pluralitas officit tantum illorum ſimultaneæ retentioni, ultra tempus a Sac. Canonibus ſtatutum, niſi accedat Apoſtolica diſpenſatio.*

16 *Secus quoad Beneficia incompatibilia, cum qui habet unum ſufficiens, idoneus non ſit ad aliud Beneficium incompatibile.*

DECISIO I.

ADverſus deciſionem, de 5. Maii 1719. a Me editam, qua dictum fuit intrare arbitrium pro retardatione executionis Litterarum Apoſtolicarum Matthæi de Galeſſis, & Beneficium ſimplex, de quo agitur, a Guidone Nardino anno 1425. fundatum in Collegiata Eccleſia Piſciæ ſub titulo Sanctiſſimæ Annunciatæ eſſe adjudicandum Canonico Chriſtophoro pariter de Galeſſis, conceſſa dicto Matthæo nova Audientia, noviſque ab eo expeditis litteris pro confirmanda ſua Impetratione Beneficii prædicti, mihi pro executione directis; idcirco in hodierna Cauſæ repropoſitione dedi Dubium -- *An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, ſeu potius novæ Litteræ Matthæi ſint exequendæ* -- quod reſolutum fuit -- *pro jam deciſis, & novas Litteras Matthæi non eſſe exequendas.*

Iterum namque viſum fuit intrare arbitrium pro retardatione executionis antiquarum Litterarum Matthæi, eo quod non juſtificabatur ullus ex modis in illis expreſſis, ſub quibus a Summo Pontifice dictum Beneficium impetravit; quod nempe illud non ſit ſolitum retineri una cum Canonicatu Eccleſiæ Cathedralis Piſcienſis abſque diſpenſatione Apoſtolica; quod ſit incompatibile cum Canonicatu, & ob hanc Incompatibilitatem vacet, ut prius, per obitum ultimi Poſſeſſo-

ris;